

Bibliothèque numérique

medic @

**Bordenave, Toussaint - candidat /
Hevin, Prudence - président. - [De
vulneribus sclopetariorum]**

1750.

**Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi
Cote : ms 2342, n°3**



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0003



D. O M N I M E

POSITIONES ANATOMICÆ

E T

CHIRURGICÆ.




U M A N U M genus nondum dira satis impugnat malorum cohors, novas adhuc nec minus inauditas nocendi vias, pulveris Pyrii, Tormentorum que Bellicorum inventionem, ipsi sua suscitavit male ingeniosa mens. Quot enim non edidere strages sava hæc instrumenta ! Quot inde mala pullulavere ! Quam ardua, Quam que ampla laboribus nostris materies !

C U M vero illis vulneribus obnoxia jaceant omnes corporis partes, cum que in illis curandis nihil, nisi Anatomia duce, tentari queat ; idcirco Chirurgum fugere non debent omnium partium figura, situs, connexiones, actiones & usus ; ideoque de illarum structurâ difficultates propositas, pro viribus solvere conabimur.

V U L N E R U M sclopetariorum indolem cognitu difficilem judicant periti rerum aestimatores ; interim eam ad collisa referendam esse afferunt. Colliduntur quidem & atteruntur partes, nec comburuntur. Falsam hanc opinionem olim jam debellavit Paræus, huic que ferè omnes nunc assentiuntur.

E x vulneribus sclopeto inflictis nulla vel saltem pauca se-



quitur sanguinis profusio, nisi fortè vena major aut arteria lacerata fuerint, & etiam quandoquè in hoc casu non effluit cruor.

GLANDES è sclopetis emissæ membrum sæpè trajiciunt, nullo remanente corpore extraneo; quædam corpora non nunquam cum glandibus in partes intruduntur, & in illis hærent, ut vestium frustula & alia, quanquam glandes exitum sibi faciant; deniquè glandes ipsæ nonnunquam in partes non transfixas infiguntur. Quæ vulnere leviora aut graviora pro partibus læsis, & instrumenti lædentis naturâ.

ILLA vulnera plurima comitatur accidentium series; in ipso instanti vulneratæ partis hebetatio cum frigoris quodam sensu, nullus vel obtusus dolor, syncope, nervorum distentio; Paulò post insurgunt intumescencia, inflammatio, Febris, dolores acutissimi, abscessus, ingurgitatio, gangræna, si funestis illis malis non occurratur.

PRÆTEREA magni momenti nobis videtur annotare partes collisas commoveri, sæpè que à læsione nervorum strangulari; ex quibus stupor inducitur, partium actio debilitatur, suffocatur quandoquè; unde gangrænae plerumque causa. Ad hæc referendæ sunt venenatæ illorum vulnere qualitates ab antiquis decantatæ.

CIRCA curationem valdè diversa est auctorum sententia. Sua cuique ætati fuit opinio; sed præ cæteris illa vulnera amplianda, & suppurationem promovendam censemus.

AMPLIATUM vulnus explorandum; educenda extranea, si quæ sint, nisi profundius immergantur, aut arteriarum viciniam occupent; nec remediis suppurantibus hoc opus committendum.

SI vulnus membrum trajiciat, tunc intrâ vulneris oras linteolum castitium seu setaceum utile probatur.

IN primis deligationibus, nisi adsit putredinis timor, aquæ vitæ usum noxium putamus.

SI contusa sit ossium substantia, & eorum superficies longè denudetur, amotis tegumentis, adhibenda præ cæteris Bellostii methodus,

3

GLANDES in eorum substantiâ infixæ terebratione in vicinis celebratâ eleventur & ejciantur.

Ossa fracta, assulis illicò solutis & ablatis, in statu naturali, quantum fieri potest, reponantur. * Quæ si cautè tractet Chirurgus artis suæ peritiâ vitam, membris incolumibus, plurimis restituet.

Si ossa aut articuli diffringantur & atterantur, in amputationis morâ periculum.

Quibus caput percutitur, his fit vulgò vel commotio, vel fractura; in his-ce fracturis plerùmque vicina ossis percussis, plerùmque lamella tantùm vitrea, resistente externâ ut vidimus franguntur, & frequentiore terebrationem suademus.

Grave periculum habent vulnera quæ Thoracem aut Abdomen penetraverunt, propter effusionis, & gangrænæ timorem. Plurimos tamen sanatos fuisse constat experientiâ, præcipuè si effusis materiis naturâ aut arte exitus concilietur.

Vulnera Tormentorum Bellicorum globis aut Bombæ fragmentis inflicta semper gravia, sæpissimè lethalia, non solum propter partium attritionem, sed & propter commotionem quam partes attritæ & vicinæ, plerùmque etiam totum corpus patiuntur.

TANTA vi, tantâ que pernecitate feruntur globi è tormentis emissi, ut aliquandò, licet partem non attingant, totam solidorum subjacentem texturam vehementer commotam, illæfâ ut plurimum cute, destruant. In ejusmodi vulneratis Ecchymosis tantùm apparet cum fluctuatione quâdam, cutis tenax & indurata difficilè secatur, tumor aperitur, & mox effluit liquor vini turbidi facies representans, carnes ita attritæ sunt, ut vix appareat earum vestigium, & ossa periosseo ipso denudata, imò fracta aliquandò conspiciuntur. Tumor autem ille statim aperiendus, alioquin immineret gangræna.

* M. de la Faye Pro-Demonstrator Regius, & è Reg. Chirur. Academiâ, Machinam invenit per utilem, cujus ope artuum ossa in statu reposita, firmiter ita retinentur, ut æger è loco in locum possit deferri. Quod in exercitiis plurima affert commoda.

4

TENTANDA, Necrosi non urgentè, resolutio, ad quam potissimum conferunt larga sanguinis missio, fomenta penetrantia, & resolventia inter quæ præstò sunt sal ammoniacum aqua vitæ solutum, & præsertim aqua communis sale marino satiata; hujus præstantissimum effectum testari possunt qui castra nobiscum sunt secuti.

EXPERIENTIA constat gravissima ex commotione oriri mala, & in duobus vulneribus ejusdem naturæ, & eidem parti inflictis non idem eventus, & ratione commotionis cujus quantitas determinari non potest, & ratione systematis nervosi in variis hominibus diversæ indolis. Unde quibus membra à gravi commotione stupefacta ingurgitantur, his rarè profunt incisiones.

CUR cæteris paribus illi sanentur, dùm hi gravioribus obruti accidentibus moriantur, non mirum. Ex argumentis alatis in promptu causa est.

Has positiones, DEO JUVANTE, & Præside M. PRUDENTIO HEVIN Artium & Chirurgiæ Magistro, Serenissimæ Delphinæ Chirurgo Primario, Demonstratore Regio, Academiarum Stocholmiensis & Lugdunensis Socio, tueri conabitur TUSSANUS DE BORDENAVE Parisinus, in almâ universitate Parisiensis Artium liberalium Magister.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Jovis ij Julii à sesquisecondâ post meridiem ad septimam. Anno Domini 1750.

P R O A C T U P U B L I C O .

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi 1750.